



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Selectae Christiani Orbis Deliciae ex Urbibus, Templis,
Bibliothecis, et aliunde**

Sweerts, Pierre François

Coloniae Agrippinae, M. DC. IIX.

Stathagae.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69234](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69234)

admirabilem sanctitatis opinionem consecutus,
tandem Friburgi Heluet. sanctam animam Deo
reddidit die festo S. Thomae Apostoli, Anno M. D.
XCVII. ætat. LXXVII.

STATHAGAE.

EPITAPHIVM D. OTTHONIS
COMITIS SCHOUMBURGII.

Hic vring, suæ consortis imagine cinctus
Stat Comes Illustris Iadoci filius OTTHO,
OTTHO Comes Schoumburgiacæ primariæ gentis
Gloria, consilio præstans, dextræq; fidelis
Ensifer à, Turcisq; olim Galliis, tremenda:
Casaribus dum pro patrijs, & rege Philippo
Bella gerit victor. Sed quem nec tela, nec hostes
Deuicere, ardens mox pustula vicit, amanti
Et patria eripuit. slet Mars, fleuere Camæna.
Ipse agit æternos cælesti in pace triumphos.

EPITAPHIVM MARIAE POMERANICAE
D. OTTHONIS COMITIS
Schoumburgij vxoris.

Hæc MARIA est Pomeranorum sata principe fortis
Barnimo, quam conspicuus florentibus annis
Ottho Comes sibi consortem delegit, amore
Casto ardens: cui fuluo auro magis aurea virtus
Corpore in eximio regnans, animusq; pudicus,
Admorant faculas. quater illam masculus hæres
Effecit matrè, quorum OTTHO hæc conditus vnus
Tres etiam nunc consilio & virtute supersunt.

In patria & foris illustres, & honoribus aucti.
 Et celo genitrix quibus omnia fausta precatur.

IN STATVAM.

ELISABETHÆ VRSVLÆ LVNEBURGIAE
 ex, D. Otthonis Comitis Schoumburgi
 relictæ viduæ.

Pulcra quidem hac statua, & matrona illustris ima-
 go est,

Pulcra oculos formosa genas, digitosq; tenellos;

Sed qua viua, memor mortis, sibi talia condi

VRSVLA mandauit, longè est formosior illis.

Omnia sunt muta hic, motuq; & sensibus orba.

Illi autem pulcro mens est in corpore longè

Pulcrior, est sermo, mentis pulcherrimus index:

Est pietas grege castarum comitata sororum.

Ergo illam viuam potius, quàm flebile marmor,

Vt liceat spectare, pio Patria ore precatur.

MEMORIAE IOANNIS CRVSI
 ISLEBENSIS.

Cui vitam Islebium dederat, cui Baltica Rhodus

Excoluit mentem & vocem; Schoumburgius heros,

Cuius consilijs operaq; est vsus alacris;

CRVSIVS hic recubat, qui dum seruire paratus

Omnibus est; sibimet non sat bene seruit ipsi.

Tabæ etenim illius sicca hac sub mole quiescunt

Ossa, sed æterna fruitur mens viua quiete;

Viuentem & multis, ne sit sibi mortifer vni,

Admonet, accusans passim diuersa sequentes.